



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vita Reverendi Patris Martini Stredonij Soc: Jesu**

**Schwertfer, Wenzel**

**Pragæ, 1673**

Caput VII. Quo spiritu manuales labores in Tyrocinio exerceri solitos,  
peregerit? Quomodo Lectionem sacram instituerit?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43132**

qui aliquam officij partem vel brevi aliquo tempore non præstitisset, aut longiori omisisset, aut omnino cessare ab omni officio præstando, incepisset.

## CAPUT VII.

Quo spiritu manuales labores in Tyrocinio exerceri solitos, peregerit?  
Quomodo Lectionem sacram instituerit?



Consuetudo est in Tyrocinio Societatis (quanquam & in reliqua vita dum vires corporis & occupationes usque ad senectam ultimam admittunt) ut Antiquorum Ascetarum more, cursus orationis & studiorum, labore aliquo interpoletur, sive ad tædium ex uno actionis genere tollendum, sive ad distrahendum & exercendum corpus, sive denique ad humilitatis exercitium. In Societate nostra, etiam à gravissimis viris dum vires & negotia tolerant, non tantùm verrere cubicula decòrum, sed etiam præscriptum usus habet. lances & vilissima quæque vir gravis obibit, in culina & alibi

soli DEO & Domui nota, brevique eâ lætitiâ & concinnitate in conversando ad januam Domûs comparebit, qualem sibi Illustrissimus quisque, quocum agitur, è culinæ lancibus egredi non persuaderet. Existimavit S. P. noster Fundator, has esse gemas humilitatis, quæ velut annuli palæ, sic vitæ Religiosæ cum scabritie quadam amæna & grata incrustantur, non verrucæ ad instar, annuli circulum præpedientis, sed gratiæ, tornum adornantis. Et compertum ab aliquibus ex hisce humilitatis distinctionibus, sive manualibus operis, spiritum quendam resummi ampliorem, sicut è labore follium, vastior ignis charitatis exfusciatur. Hanc humilitatis recognitionem in manualibus, qualiter Martinus, cum Oratione sociaverit, è sequentibus advertete.

Postquam Angelicum consilium (*ora & labora*) Divo Antonio exhibitum, ad intersecandas animi exercitationes, per manualia opera & exercitium corporale Ordini nostro probatum fuisset, assignata sunt quotidiana hujusmodi operibus & exercitijs certa tempora in Tyrocinio (manuales labores dicimus,) quæ cum ferventissimus quisq; Tyronum utilissimè expenderet, noster hic etiam Martinus sanctissimè consumebat, tam appositis formis occupationem quamvis investiens, ut qui eas deinde co-  
gno-

gnoverunt, gratiam earundem fatiſ comendare non poſſent. Si ad terram in horto tractandam mittebatur, filium Adamo parenti exulanti ſe adjuugebat fideli operâ moleſtias ejus ſublevaturus; vel ei Hortulano ſe in diſcipulum offerebat, qui Mariæ Magdalenæ in horto Hieroſolimitano poſt hyemem Paſſionis flores Nazareos oſtentabat. Si aquis hauriendis aut diſtribuendis fuiſſet applicatus, præ laſſitudine ad fontem ſedenti Salvatori hauſtum offerendum accelerabat; vel Angelum Cuſtodem paſſus ſuos deſcribentem humillimè precabatur, nè tam exile ſuum officium aliquâ memoriâ dignaretur.

Si ligna foco ſubminiſtranda tuliſſet, ibat modeſtiſſimus Iſaac, offerens ſe piſſimo affectu in ſuccedaneum holocauſtum, ſi magis opima victima deſuiſſet. aut à Simone Cyrenæo poſtulabat, ut onus ſibi, ex toto deſerendum concederet. Si ad fabricam Domûs promovendam aliqua conferebat auxilia, attollebat animum ad ædificationem cæleſtis Hieruſalem ex vivis lapidibus, & nè unquam intra ſe turrim Babel erigere, aut in domibus luteis æternare niteretur, ſtatuebat. Si ad coquinæ obſequia aut pavimenta verrenda, ſimiliâque vilia officia ablegaretur, aſebat Mediaſtinum ſe eſſe in domo S. Joſeph, exquisitiſſimè omnia illa occurrentia

## 30 VITÆ R. P. MARTINI STREDONII S. J.

perficiens, idque potissimum in obsequium filij familias, eò quòd crederet sui ab eo maximam rationem habitum iri, ubi is ad regnum, ad quod natus erat, pervenisset. Si ad triclinium instruendum divertisset, modestissimè Christi obsonatores Petrum & Joannem rogitabat, quo ordine mensam Domini & Apostolicam, velent præparatam; vel divinabat, qualis esset apparatus in mensa cœlesti, in qua discumbentibus Ministris, à præcincto Domino ministratur. quæ omnia cum silenter; strenuè ac moderatè constantèrque peregisset, præsentabat humillimè Divinis oculis, peractum opus, & orabat, ut si quid in eo boni appareret, id suum Divina Bonitas acceptaret; si quid verò imperfectum displiceret, id Divina Misericordia infirmitati, ac miseræ humanæ condonaret. Idem & teneriori adhuc erga Christum humilem imitandum affectu fecit in vilioribus officijs, quæ pro more Societatis, velut gesta Religiosorum gloriosa notari & posteris transmitti solent, quando videlicet, calefactoris munus obijt, ollas culinarias ac lebetes perpurgavit, pannos lavit, penuariæ cellæ, culinæ alijsque infervijt, munditiei domesticæ curam subijt, quæ ut vocamus, Virtutis, Religionis & constantis animi experimenta, viginti septimanis preciosus in oculis DEI mediastinus exercuit. præter pere-

regri-

CAPUT VII. 31

grinationes absque viatico, aliásque humiles, ultro assumptas victorias, puta comestionem, quam ad portam Collegij quater in publico pauperibus conjunctus, mendiculi ad instar gloriose peregit; ter dorsuale canistrum per civitatem tulit, & similia mundi quidem supercilio vilia, DEI tamen pupillæ speciosa.

Ad Lectionē spirituales audiendā, accurrebat jam ut parvulus ad delibandum coelestis Sapientiæ poculum vocatus; jam ut Benjamin adolescentulus in mentis excessu; jam ut vigil Samuel ad accipiēda divina oracula præparatus; jam ut Cathedræ ex Cœlo corda docentis subiectus Auditor; jam ut Nicodemus Theologiæ Salvatoris admirator! Inter audiendū non verba solum aut elegantes sententias captabat; sed nucleo sub his contento inhiabat, eumque deprehensum dirigebat ad cognitionem sui & DEI, ad extirpationem defectuum & insitionem virtutū, ad superandas tentationes, & explenda desideria collium æternorū; ad Regularum custodiam & votorum observantiā, ad omnia statūs de honestamenta arcenda, & ad decora omnia, perfectionesque Religiosas undique accersendas, ad plenū denique mundi contemptum, & inflammandam ad sumum, suam erga DEUM charitatem. Si non alium legentem audiret, sed apud se privatim sine arbitris legeret, summā imprimis

cum

cum veneratione libellum Asceticum cordi applicabat, significans se libentissimè subjectum esse omni Divinæ sibi indicatæ voluntati, recitans insuper: *Et legem tuam in medio cordis mei!* Cavebat deinde nè in lectionis materiam aliam vel ordine alio involaret, quàm fuisset præscriptum à Magistro; aut nè legendo helluonum intemperantiam secutus, nec modum adhiberet, nec finem in tempore faceret; aut nè etiam cum legenti admiranda ac imitanda occurrissent, illis potius quàm his adhærendum esse judicaret.

Quia verò utilissimè se lecturum aliquando inaudierat, si inter legendum ad eundem finem quem Scriptores Ascetici propositum habuerunt, ædificationem videlicet Domûs interioris seu perfectionis vitæ spiritualis respectaret: Tria potissimùm ex lectione reportare satagebat. *Præcepta* nimirum, *Exempla* & *Motiva*. *Præcepta* quidem ut iis quasi impellentibus imperata impleret, perficienda perficeret, prohibita omitteret, & corrigenda corrigeret. *Exempla* verò, ut iis quasi manu ducentibus per similitudinem, obsequij exhibitionem conaretur, & conficeret. *Motiva* demum, ut iis quasi peruncta & mollificata voluntas, sinè resistantia applicaretur & ad implenda præcepta, & ad sequenda exempla.

Ob-

Observatâ accuratissimè hae doctrinâ consecutus per eam est, miram & raram solidorum principiorum pro rectè agendo & spiritualiter vivendo notitiam, quam dum fideli memoriae commendat, & in ea frequenti recordatione roborat, & per occasiones oblatas, usu & applicatione ad praxim sive opera extendit, plerosque fructus qui eâ lectione spirituali progeniti passim copiosè numerantur, fecit suos. Quibus non infrequenter cœlitus extraordinariæ gratiæ adjiciebantur, ità ut ordinaria præcepta meditati, & eorum causas indaganti, per earum feriem, tanquam per rivos, ad fontem aditus faciles ei aperirentur, & is eò usque proveheretur, ubi clarè perspiceret ea ipsa præcepta ex aeternæ divinæ legis tabulis traducta fuisse. Aliàs in Exemplis, morem, stylum, industrias, ductusque Divini Spiritûs, inexplicabili quadam perspicaciâ distinguebat. In Motivis verò singulorum pondus ac valorem justissimè taxabat; saporum verò varietatem subtilissimè discernebat, timensque insuper nè tam exquisita & rara dona DEI aliquando ex memoria elaberentur, describebat ea omnia diligenter in Enchiridio suo suprâ nominato. ea quæ primi ac secundi generis erant, sub titulo *Luminum* ordinans; ea verò quæ tertij generis fuerant, inter *Gustus* distribuens.

E

Trans-



Transacto sic biennali Tyrocinio, conspectus est Martinus in Virtute adolevisse, dignusque ob insignem ad Institutum habitudinem, qui amplioribus vinculis, votis inquam Religiosis vincendus judicaretur. Admissus ergo ad vota 26. Septemb. Anno 1610. amplius & ipse pariter se obligatum esse Divinæ Majestati advertit, emergensque velut è clibano Probationis, ardorem quidem sibi semper retinere, lucem verò deinceps etiam publico communicare incepit.

## C A P U T VIII.

Quomodo Virtus ipsis è parietibus Probationis egressa, Studiorum tempore illuxerit. Quam normam in Studijs & Colloquijs adhibuerit.

**M**issus 28. Septembris Anno eodem 1610. ad Studia Græcium è Tyrocinio virtutis, ut altioribus Philosophiæ principijs imbutus, sibi & alijs ab utroque, à pietate scilicet ac litteris prodesset. Vix in Lyceò illo Sapientiæ, oculis gravium & doctorum  
viro-